

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Denarivs.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

in trivium profecti, quoscunque invenerunt, eos coegerunt, tum malos, tum bonos, ita ut compleretur cœnatio convivis. Ad eos contemplandos ingressus Rex, animadvertit ibi quendam non nuptiali vestitu indutum: & Amice, inquit, quid huc intrasti siue vestimento nuptiali? Cumque ille obmutuisset, jussit rex famulos, ut eum pedibus manibusque constrictum, in teterrimas tenebras abriperent, ubi futurus esset ploratus, stridorque dentium. Multi enim sunt vocati, sed pauci electi.

## SENTENTIA.

*Publicani & meretrices ad Dei regnum sunt aptiores, quam populorum magistri atque gubernatores. Qui divinis donis ornatus ingratum se præbet, is donis privatur. Optima quæque maxime improbantur a potentissimis quibusque.*

DENARIUS. Matth. 22. Marc. 12.  
Luc. 20.

## ARGUMENTVM.

Jesus a Phariseorum Herodisque discipulis de tributo Cæsari pendendo malitiose interrogatus, prudenter respondet.

*Discipuli Phariseorum, Herodiani, Jesus.*

**M**agister, scimus, ut a) verax sis, divinamque vivendi rationem vere & sincere tradas, neque

a) Aptissima ad fallendum oratio, quippe cum de Christo vera, sed malitiose dicant.

que ullius omnino hominis gratia de veritate deducaris. Proinde dic nobis, quid tibi videatur: liceatne nobis censum pendere Cæsari, nec ne? *Ie.* Quid me tentatis, simulatores? exhibite mihi numum tributarium. *D.* En tibi denarium! *Ie.* Cujus est imago hæc, & inscriptio? *D.* Cæsari: & quæ Dei, Deo.

## SENTENTIA.

*Astutis circumspecte respondendum. Captiosa ad nocendum interrogatio vitiosa est. Sed ad eandem provida ad seipsum tuendum responsio, vitiosa non est.*

SADDUCÆI. Matth. 22. Marc. 12.  
Luc. 20.

## ARGUMENTVM.

Jesus a Sadducæis de septem maritorum uxore interrogatus, cujusnam futura esset in altera vita, docet: ibi nulla fore matrimonia, & obiter resurrectionem fore ostendit. Deinde legis perito, de maximo legis præcepto respondet. Postremo, illos quadam interrogatione de genere Christi compescit.

*Sadducæi, Jesus, Legisperitus, Scribæ,  
Pharisæi.*

**M**agister, Moses scripto sanxit, si quis mortuus fuerit sine liberis, superflite uxore & fratre,  
ut